DE
ANIMAE FOETORE.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA-GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR,
DIE XXI. M. OCTOBRIS A. MDCCCXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

FRIDERICUS GODOFREDUS BEHRENS.
ASCANIENSIS.

OPPONENTIBUS:
J. E. GABLER, MED. UTR. DR.
J. KOEHLER, MED. UTR. DD.
B. PREISS, MED. UTR. DD.

BEROLINI,
TYPIS FERDINANDI NIETACK.

VIRO

CLARISSIMO, AMPLISSIMO, AESTUMATISSIMO

A. F. G. TAUBERT,

BORUSSORUM REGI A CONSILIIS AULICIS ACADEMIAE ARTIUM BEROLINENSIS SODALI,

HAS

QUALESCUNQUE PAGELLAS

SUMMA CUM VENERATIONE

OFFERT

AUCTOR.

INTRODUCTIO.

Haud raro homines observamus, qui quidem speciem bonae valetudinis prae se ferentes, revera sani sunt, attamen halitum oris foetidum edunt, quo non solum aliis graves et fastidiosi sunt, sed ab omnibus in contemtu habentur aegerrimeque feruntur. Miseri isti ubicunque perhorrescuntur; merito quidem, ut mihi videtur, nihil enim est molestius ac foedius, quam spiritus teter.

Exempla etiam probant, feminas sensibiliores ac hystericas, colloquentes cum tali misero, saepe ignaro' quantas aliis inferat molestias, animo linqui.

Pessimum haud dubie hoc malum exstat in hominum consortio, eo magis, quod colloquendo occultari non potest. Alia incommoda, haud minus molesta ac tetra, ut sudor axillaris, sudor pedum, foetore illo sunt leviora, quippe quae modo anni tempore calidiori graviora ac molestiora redduntur et munditie promtiori, lavationibus, permutatione vestium crebriori etc. non modo temperantur, sed nonnunquam ex toto fere opprimuntur.

Animae foetor habitualis per aliquod quidem tempus diminui aut supprimi potest, os aqua, spiritu, e. g. aqua coloniensi, fovendo, manducando aromata etc. non facile autem funditus exstinguitur. Quot homines isti vitio sint obnoxii, quotidie experimur.

Anima foetida multorum morborum comes est iisque sublatis disparet; quod saepe in febribus gastricis, pituitosis, putridis nec non inflammationibus et ulceribus faucium, gingivae et oris, imprimis in an-

gina gangraenosa, ulceribus syphiliticis os naresve obsidentibus, denique herniis incarceratis, animadvertimus. In phthisibus quibusdam pulmonalibus v. c. phthisi purulenta etc. foetor adeo terribilis ore efflatur, ut vix quisquam eum sustinere queat, imo cubiculum totum vaporibus tam insalubribus repleatur, ut omnes velut pestiferum hoc fugiant. Qui halitus imprimis in febribus nervosis ac putridis contagium morborum constituit.

Hujus foetoris modo obiter mentionem facere placuit, sublatis enim morborum causis, morbus ipse cum halitu foetido cedit; neque immorabor foetori animae, alios morbos insanabiles comitanti e. gr. scirrhum ventriculi etc. Versabor tantum in describendo halitu foetido, qui, deficiente cujuscunque morbi vestigio, e sano corpore proficiscitur, aut proficisci videtur.

Animae foetidae causae sunt multifariae atque

diversae, quamobrem, habita loci ratione, cui insident, triplicem ejus speciem distinguam:

1) quae ex ore, dentium carie, tartaro et gingivae inflammatione

2) quae e ventriculo et pharynge

et 3) quae e pulmonibus originem ducit.

I.

De anima foetida, quae ex ore ducit originem.

Quodsi foetor ex ore proficiscitur, non solum facillime cognoscitur, sed etiam sanatur. Causa hoc in casu utplurimum in dentium carie cernitur, quae pueris saepissime supervenit, praesertim ante et inter dentium lactantium vicissitudinem, neque ab adultioribus abest, quamquam dens post quinquagesimum aetatis annum rarius carie corripitur. Facillime dentes molares, minus facile incisivi et canini, rarissime dentes anteriores mandibulae carie subiguntur. Simulatque dens aegrotat, ichor cariosus magis magisque eum corrodit, excavat et foetorem edit; inter omnes enim constat, nihil gravius foetere, quam ossium saniem. In dentium cavitatibus carie formatis ciborum comestorum reliquiae haerescentes cum ichore miscentur, celerius putrescunt eoque modo non solum foetorem alunt et augent, sed etiam ut caries latius dimanet, efficiunt.

At vero, si dentes morbo non laborant, sed aliquibus intervallis distant, anima foetida exoriri potest, siquidem ciborum particulae, imprimis caro,

casens etc. dentium interstitia tenentes, non removentur, sed ibi putredini submittuntur.

Saepe vero animae foetidae causa in ipsis gingivis posita est, quippe quae rarescunt, spongiosae ac tumidae evadunt, nec non facile sanguinem reddunt; imprimis vero earum margines intumescunt, ita ut interdum dentium coronae obtegantur; quo facto saepe ulcerationes in gingivarum marginibus existunt, quae sensim sensimque eam destruunt, collum et radices dentium nudant, ut dentes non solum elongari videantur, sed etiam labefactentur et facile excidant.

Rebus ita constitutis, morbo hocce laborantium os saepe teterrime foetet, quod, si gingivae digito fricantur, facillime cognoscitur. Interdum hujus morbi natura est scorbutica, saepe vero scrophulosa, saepius tamen cum indigestione conjuncta*). Plerumque homines hoc morbo laborantes, quod reliquum corporis statum attinet, sani sunt, morbus ergo localis, quem statum hic me descripturum esse, supra dixi; sublata vitiorum causa, etiam symtomata morbosa gingivarum cedunt.

Non infrequenter materia calculosa, tartarus, qui dicitur, circa dentes accumulatur, imprimis hominibus, qui os non satis fovent; haud raro tenera jam aetate, multo saepius aetate provectiori hominum vinolentorum ingens tartari moles conflatur.

Maxime dentibus molaribus inhaerescit sub collum vel inter dentes et gingivas, nec non utrumque

*) Ebermaier. Chirurgie. Tom. II.

dentium latus obsidet, imprimis ubi interstitia sunt; augescente tartaro gingivae a dentibus diducuntur, alveoli dentium carie corripiuntur atque dentes ipsi amittuntur.

Pars ejus inferior, proxime dentibus circumfusa, quam maxime foetet; plerumque tartarus e saliva nascitur, ut calculi salivales, cujus dispositio ad tales formationes saepe a cachexiis, aut ab indigestione pendet *). Omnia istiusmodi vitia et facile cognoscuntur et sanantur.

II.

De anima foetida, quae e ventriculo proficiscitur.

Multorum hominum glandulae muciparae pharyngis et oesophagi majorem quantitatem muci secernunt, qui in diverticulis harum partium retentus, degenerat animamque foetidam fovet. Praesertim id matutino tempore accidit, quippe per noctem plus secernitur, accumulatur et omnes partes integumento crasso albido obducuntur, quod excessibus in victu augetur; nec minus refrigeratio, tempestas frigida humida multum conferunt, quam ob causam muci secretio vere et autumno uberior quam aliis temporibus est. Secretio ejus etiam indigestione, usu farinosorum, pinguium et dyspepticorum ciborum au-

*) Ebermaier. l. c.

getur; adulti magis quam infantes ac senes hoc vitio laborant.

Cruditates partim immediate, partim mediate animae foetidae ansam praebent: immediate scilicet, si ventriculus cibos ingestos non satis digerit; quo fit, ut indigesta in ventriculo diutius resideant et putrescant, itaque gasa evolvantur, quae ructibus expelluntur valdeque foetent. Qua indigestione multi homines laborant, praesertim aetate provectiores, cujus symptomata utplurimum quinque vel sex horis a ciborum assumtione elapsis sese manifestare solent.

Subinde vero cruditates mediate causam animae foetidae sistunt: turbata enim digestione pravi humores, ad corporis nutritionem pertinentes, conficiuntur, quos chylificationi et sanguificationi minime respondere, facile est intellectu.

Quod si porro alimenta aut medicamenta fragrantia hauriuntur. e. gr. vinum, spiritus vini, cepae, allium, armoracia, asa foetida etc. anima etiam foetida existit, quippe eorum particulae vel in ore dentium interstitiis inhaerescunt et in pharynge et oesophago remanent, vel cum aëre in ventriculo evoluto conjunctae, ructibus exploduntur, vel in sanguinem transmissae, pulmonibus exhalantur. Haecce causa imprimis culpanda est, si anima aliquot horas post digestionem foetet.

III.

De anima foetida, quae pulmonibus efflatur.

Pulmones, in cavo thoracis positi et per arteriam asperam cum ore commercium habentes, substantia spongiosa ac cellulosa consistunt, quae ramificationibus tenuissimis arteriarum, venarum et bronchiorum fingitur; in pulmonum parenchymate igitur vasa sanguifera modo membranis tenuissimis a bronchiorum ramificationibus sejuncta sunt, quod maximi est momenti.

Omnis sanguis enim, a corde, tanquam centro corporis, per arterias ad peripheriam deductus, per venas autem a peripheria ad centrum revectus, etiam pulmones permeat; per pulmones circuitum faciens sanguis magnam mutationem experitur; respirationis enim processu sanguinis mutatio in pulmonibus venosi in arteriosum perficitur, quae summi ponderis est, quoniam secreta omnia e sanguine arterioso hauriuntur itaque tota vegetatio ab eo pendet; num ille processus in oxydatione sanguinis cernatur, utrum in decarbonisatione, physiologi adhuc dissentiunt; aër inspiratus vero gase oxygenio et azoto consistit, illius partibus 21, hujus 79; nonnulli pauxillum acidi carbonici adjiciunt, quod fortasse partem 10000 aequat. Aër exspiratus tamen ab inspirato differt, etenim quantitas oxygenii liberi diminuta est et in locum ejus acidum carbonicum successit; azotum vehiculum perpetuum oxygenii inspirati et exspirati sistit. Plerumque processus perhibetur talis:

oxygenium aëris inspirati primo cum hydrogenio sanguinis ad aquam, deinde cum carbone ad acidum carbonicum conjungitur, quae ambo, cum vitae inimica sint, in forma gasis exspirantur. Non solum autem istae partes, sed etiam magna copia aliarum partium animalium desassimilatarum et vitae inutilium vel nociferarum, e sanguine secernuntur et exspiratione pulmonibus simul exhalantur.

Quodsi igitur cruditates impediunt, quo minus ventriculus functionibus suis rite prospiciat, omnino chylificationis opus disturbatur, sanguis, multis nociferis partibus abundans, degenerat foetoremque edit, ut quisque humor depravatus. Verisimilius autem et evidentius hoc apparere videtur, si consideramus, omnes partes consumtas e sanguine instaurari, nimirum e colliquamento ab arteriis edito et lympha plastica; quid multa! quum totius corporis nutritio omnesque secretiones a sanguine pendeant, quum cibi, potus atque omnes materiae, quae assimilandae sunt, vasis lymphaticis resorbeantur, partes vero supervacuae, inutiles et nociferae, partim per renes, ut lotium, partim per cutem, ut sudor, partim per pulmones expellantur, sanguis igitur semper multis particulis supervacuis onustus, in pulmonibus cum aëre inspirato contactum subeat, quoniam vasorum sanguiferorum pulmonalium et bronchiorum fines extremi modo membranis tenuissimis sejungantur: facile est intellectu, cum acido carbonico magnam materiarum inutilium et nociferarum quantitatem mediante respiratione pulmonibus exhalari omninoque animae foetidae ansam praebere.

Quo peculiari odore multi homines non omni tempore laborant; interdum per vices cedit atque redit; gravior plerumque est tempore matutino ante jentaculum, postea levior aut nullus.

Saepissime feminae eo corripiuntur circa mensium fluxum, imprimis anomalum.

Diagnosis.

Non difficile est, sedem hujus mali indagare; exploratio enim accuratior cavi oris, dentium, gingivarum etc. facile nos edocebit, quaenam partes laborent, num caries dentiumque cavitates, in quibus ciborum particulae considant et putrescant, adsint, an dentes tartari mole abundent, utrum gingivae inflammatae, rarefactae, spongiosae et cruentae sint praetereaque os longum per tempus fotibus ac perpurgatione caruerit? Omnia haecce, inquam, facile cognoscuntur.

Ubi indigestio locum habet, quae sese manifestat doloribus ac gravitate regionis umbilicalis, ructibus, sapore acido, amaro putridoque, linguae tegmine flavo aut albo, pyrosi, appetitu ciborum vitioso, nausea multisque aliis signis, facile concludere licet, animam foetidam hisce ex causis proficisci. Quae si ita sunt, chylificatio neque minus sanguificatio omnino alienatae sunt; sanguis vero multis alienis, supervacuis et nociferis materiis scatens et depravatus usum legitimum praestare nequit; magna harum par-

ticularum male olentium portio exspiratione mediante per pulmones eliminatur.

Sin omnia signa supra enumerata deficiunt, si neque dentes, gingivae etc. malo quodam laborant, neque cruditates, aut aliae affectiones morbosae adsunt et corporis habitus speciem bonae valetudinis prae se fert, concludere licet, animam foetidam modo e pulmonibus proficisci, cum exspiratione particulas mali olentes sanguini insitas, quae vel per cutem, vel per renes secernendae sint, hanc viam insolitam ingredi et per exspirationem cum aëre inspirato pulmonibus exhalari itaque animae foetidae ansam praebere.

Haud raro plures causae conjunctae exstant, e. gr. dentium caries et indigestio; saepius una ex altera nascitur; qui enim dentibus caret, vel cui mali sunt, cibos non exacte mandit, quo fit, ut ventriculus eos digerere nequeat, sed cruditatibus oneretur; verum etiam vice versa ex indigestione caries dentium, facilius tartarus oritur. Quandoque anima foetida e dentibus malis pariter ac pulmonibus originem ducit.

Prognosis.

Non semper idem est praesagium, quod num laetius sit, utrum pejus, e vitii sede et causis metiendum est. Optima affulget praedictio, ubi foetor ex oris munditie neglecta, e tartaro, vel ex ipsa carie originem ducit. Quibus sublatis causis, e. gr. evul-

sis dentibus, aut cavitatibus eorum refertis foetor evanescit, siquidem ejus fontes sunt obstipati.

Faustam quoque prognosin aestimare licet, si indigestio locum habet, quae victu idoneo, remediis cardiacis adhibitis et depulsis omnibus rebus, eam alentibus atqne augentibus, certe aufertur. Malum vero augurium apparet, si anima foetida e pulmonibus originem ducit et jam habitualis evasit. Quo in oasu saepe difficillimum est, ne dicam impossibile, animam foetidam, e pulmonibus manantem, corrigere.

Curatio.

Medela, qua ad sanandam animam foetidam spectat, in radicalem et palliativam dispescitur. Remedia igitur radicalia ea nominanda sunt, quae morbum cum omnibus symtomatibus, causis et sequelis radicitus evertunt; causa sublata enim, signa et symtomata mali utplurimum evanescunt. Omnino haec aptissima sunt, dummodo semper adhiberi possent; at vero morbi causae saepe sunt incognitae, vel ita constitutae, at tolli nequeant. Remedia vero palliativa dicuntur, quae persistente morbo tantum ejus symtomata evidentiora subvertere aut demulcere valent. Hisce solis saepe acquiescendum est, quippe curatio radicalis obtineri non possit; eadem satis diu adhibita, non raro malum radicitus evertunt.

A.

De curatione radicali animae foetidae, quae ex ore proficiscitur.

Principem ad animam foetidam corrigendam mundities oris quam maxima locum tenet. Quovis die, praesertim matutino tempore, relicto cubili, os aqua tepida foveatur, quia imprimis noctu magna copia muci multaeque aliae particulae secretae, colliguntur, quibuscum ciborum reliquiae, si in ore remanserint, simul putrescunt. Verum etiam post quamlibet coenam aqua pura per dentium interstitia trudatur, qua imprimis ciborum reliquiae et materiae alienae, dentium interstitiis inhaerentes, auferuntur; sin particulae aqua removeri nequeunt, dentiscalpio acuto e ligno molliori confecto, est utendum; omnia ex metallo parata rejicienda sunt, quoniam hisce instrumentis substantia vitrea s. adamantina, quae coronam dentis ambit, facile laeditur et cariei causa offertur. Quodsi aqua non sufficit, ad materias alienas et sordidas removendas, penicillum dentarium ac dentifricia adhibenda sunt; dentifricia vero, e substantiis acidis, duris et terraneis composita, plane repudianda sunt, quippe quae et ipsa magis minusve substantiam vitream laedunt et dentium cariei viam muniunt.

Optimum dentifricium, quod omnibus rationibus respondet, quo jam per aliquot annos maximo cum fructu utor, hoc est:

No. 1.

℞. Pulv. carbon lig. tiliae ʒvj
pulv. calami aromatici ʒjj
olei caryophyll.
olei lavandul. aa gtt. vjjj.
m. exact. d. ad scatul. s. Dentifricium.

Quod ope penicilli in aquam immersi quotidie modo semel adhibeatur; insimul gingivae vero intensius fricentur, quo tenacius dentibus inhaerescant, nec materiae inter hos atque gingivas remaneant. Frictionibus nimirum gingivae duriores et solidiores redduntur, promtius crescunt ac dentes firmius circumdant, quod hisce servandis magnas fert suppetias.

Quod si moles calculi dentalis, circa dentes accumulata, tanta est, ut ope aquae aut penicilli nequeat abstergi, instrumenta adhibenda sunt, quibus cauta manu, ne dens ipse laedatur, substantia illa deradatur; quo facto pulverem supra dictum applicari convenit.

Eandem ob causam minime utendum est acidis, e. gr. acido muriatico, quae adhibita quidem dentes candidiores, sed fragiliores reddunt, siquidem omnia acida dentes adipe, nimirum eorum nutrimento, substantiae adamantinae insito, privant.

Quam ob rem homines phthisi aut tabe laborantes, dentibus albissimis gaudent, quum natura ipsa substantiae adamantinae adipem auferat *).

---

*) Medic. Encyclopaedie B. I. p. 86.

Quod si caries dentium animae foetidae fontem sistit et dens ipse jam ita destructus est, ut nullum amplius usum praestet, sed potius dolores efficiat et forsan cum finitimo dente cariem communicet, haud mora evellatur. Si quis eum, partim decoris, partim utilitatis causa, sibi servari cupiat, magnam diligentiam munditiei impendat, ne quid cibi in cavo dentis remaneat ibique putrescat; os saepe foveatur aqua coloniensi, imprimis vero remediis infra subjectis. No. 2 et 4.

Dentis etiam cavitas, si licet, referciendа, i. e. laminis stanneis vel aureis implenda est, quo facto dens saepe multos per annos servatur. Ubi gingivae tumidae, rarae ac spongiosae sunt, aut ulcerationibus laborant, causa vitii saepe in indigestione cernitur; saepius vero homines vitio illo detenti quoad cetera sani sunt. Ubi igitur malum locale exstat, frictiones ope spongiae in succum citri, spiritum camphoratum, spiritum cochleariae, vel aluminis solutionem immersae, instituendae sunt; ad os fovendum maximi momenti esse solent: tinctura catechu, laccae, myrrhae, aqua vulneraria Thedenii, infusum chinae, salviae, prunellae, rutae, cochleariae, corticis salicis cum alumine, acidum muriaticum oxygenatum etc.

No. 2.

℞. Spirit. cochleariae ℥ji
Tinct. laccae ℥j
Tinct. guajaci ℥ß
Tinct. cinnamomi
Tinct. myrrhae aa ʒji
m. d. s. ad gingivam illinendam;

vel pars una cum tribus partibus aquae commisceatur atque os saepius foveatur.

Sin gingivae ulceratae sunt:

No. 3.

℞. Syrup. mororum ℥j
acid. muriatici oxygenati ʒjii
S. ad gingivam illinendam.

Si infantes sub vicissitudinem dentium lactantium, circa sextum vel septimum annum anima foetida laborant, causa princeps in dentibus exesis plerumque cernitur, qui statim extrahantur necesse est, quod tunc sine magnis doloribus fieri potest; mox etiam dentes redintegrantur.

Reperiuntur vero in pharynge et oesophago multae glandulae mucosae, quae vel ipsae degenerant et diverticula fingunt vel nimiam quantitatem muci secernunt, qui accumulatus etiam corrumpitur et animae foetorem efficit, quo in casu summae munditiei indulgendum est, os fovendum aqua, spiritu etc. e. gr.

No. 4.

℞. Salviae
cortic. salicis aa ℥ß.
coq. c. aq. fontan. q. s.
colat. refrigerat. ℥xji adde
mixtur. oleos. balsam. ʒiii
aq. coloniens. ℥ß.
m. d. s. ad os quater singulis diebus fovendum.

Ad usum communem portiuncula hujus mixturae cum aqua pura commisceatur et os saepius foveatur.

Admodum laudanda est haec formula: partim enim adstringit partes oris relaxatas easque roborat, partim gratum spargit odorem, quo anima foetida non solum in tempus coërcetur, sed etiam longiori mixturae usu saepe radicitus aufertur.

Huc quoque pertinet tinctura, multis laudibus efferenda:

No. 5.

℞. Spirit. rorismarini ℥ji
tinct. chinae
tinct. aromaticae aa ℥ß
mixtur. oleos. balsam. ʒjii
m. d. s. ad gingivas illinendas vel aqua admixta ad os fovendum.

Fistulae dentales, inflammationes gingivarum, linguae, inprimis vero ulcera oris, e quibus saepe halitus oris foetidus emergit, saepe sunt syphilitica vel scorbutica etc. itaque modo morbi universalis symptomata, quae, remediis vel merçurialibus, vel antiscorbuticis adhibitis causisque sublatis, brevi tempore cedunt.

B.

De curatione animae foetidae, quae e ventriculo prodit.

Quodsi cruditates et signa gastrica existunt, ventriculus functionibus suis non rite providet animaque foetida vel e ventriculo per ructus vel e pulmonibus per exspirationem ascendit. Imprimis ventricnli functiones ad normam redigendae sunt, si tetrum illud vitium radicitus exstinguere conamur. Prae omnibus huc pertinent diaeta idonea et temperantia in cibo potuque, quae omnibus impense commendandae sunt. Subinde enim videmus, homines, excessibus in victu commissis, anima foetida affici, eo usque persistente, donec indigestio cesserit. Aliis hominibus, quibus habitualis est, itaque omni tempore exstat, commisso aliquo excessu augetur, quam ob causam apta diaeta eo magis necessaria est. Non quibus vescimur, sed quae digerimus, corpori prosunt et nutrimentum suppeditant, quam ob rem certissime asserere licet, maximam hominum partem multo pluribus vesci, quam opus sit *).

*) Hufeland. Makrobiotik.

Exemplum evidentissimum, quantillum nutrimenti opus sit, Elliot, fortissimus defensor de Gibraltar exhibet, quippe qui per octo dierum obsidionem quotidie tantum duas oryzae uncias hausit beneque habuit.

At non solum quantitas, sed etiam qualitas nutrimentorum respicienda est. Unumquemque nostrum, attentionis aliquid sibi impendentem, facile intellecturum confido, quae nutrimenta digestioni apta sint, quae noceant. Saepe non cibi ipsi, sed eorum praeparatio nobis inimica est, quam corrigi oportet; qui, ut ita dicam, ventriculum suum sentit, non amplius incolumi ejus statu gaudet: fame tantum ejus memorem fieri oportet.

Quicunque igitur ventriculo laborat, magis cibis eupepticis utatur, vitet autem vegetabilia, praesertim omnia olera, e. c. brassicam oleraceam, viridem et capitatam, legumina omnia, e. gr. pisa, fabas, lentes, neque minus cepas, allium etc.; panem cibarium et acidum, caseum, carnem pinguem, praesertim suillam et anserinam, farcimina, pisces pinguiores, e. gr. muraenas, anguillas, ova dura, placentam ex ovis confectam, opus pistorium, imprimis pinguiusculum etc. Vitentur etiam cibi acidi, acetaria, acetum ipsum, vina acida, panis acidus etc.

Tam omnia enumerata, quam plura alia non facile digeruntur, praesertim si quis ventriculo jam laborat, sed stomachum nimis onerant et animam foetidam adaugent, imo ipsam gignunt. Hisce vitandis quoque interponenda sunt multa potulenta ca-

lida, e. gr. immodica quantitas infusi coffeae, theae etc.

Imprimis vero certum tempus coenae assignandum est; nihil enim magis ventriculum debilitat, quam instabilis coenarum ordo, siquidem cibi intempestive accumulati non rite coquuntur et assimilantur; corporis exercitatio sub dio ante pastum quam maxime commendanda est.

Quodsi vero victu idoneo atque temperantia in cibo potuque indigestio et anima foetida, inde nata, non tolluntur, remedia ad causam spectantia, partim quidem evacuantia, partim absorbentia, partim digestiva et cardiaca in usum vocanda sunt, quorum singula enumerare nolo, cum ventriculi ac organorum chylopoëticorum vitia maxime discrepent; etenim si hoc in animo fuisset, omnes morbos huc pertinentes, e. gr. febres gastricas etc. a me describi oportuisset.

Novissime pauca quaedam de vestitu congruo dicam. Quum transpiratio cutis organismo humano maximum usum praestat, quippe quae abundantiam hydrogenii, imprimis vero carbogenii auferat et hac parte cum pulmonum functione analogiam offerat —, quod imprimis in iis casibus videmus, quibus functio cutis prorsus deleta est, v. c. exorta combustione, qua symtomata suffocativa oriuntur, quoniam corpus per pulmones solos non satis carbogenii exuere potest —: ea vestimenta optima sunt censenda, quae huic functioni faveant, nimirum lanea: lana enim cutem leviter incitat, calefacit et transpirationem adauget, quibus fit, ut multae nociferae, supervacuae et olentes particulae a pulmonibus deriventur et per

cutem secernantur. Proinde laneus vestitus non solum aetati provectiori, qua transpiratio et calor animalis decrescere incipiunt, sed etiam omnibus hominibus vitam desidem agere coactis, omnibus hypochondriacis et hystericis, quos saepe anima foetida laborare constat, plurimum convenit.

C.

De curatione animae foetidae, quae pulmonibus efflatur.

Quodsi vero causa animae foetidae neque in ore, neque in ventriculo cernitur et habitus totius corporis speciem bonae valetudinis prae se fert, omnino ratiocinandum est, materias male olentes anomalam viam esse ingressas, nimirum per pulmones magis efflari, quam per alias vias excretorias e. gr. per cutem, renes etc. eliminari; constat enim, necessitudinem quandam pulmones alere cum cute, renibus atque tractu intestinali, qua fiat, ut remedia, quae secretiones hasce uberiores reddant, omnium aptissima sint, ad animam foetidam diminuendam et tollendam, quippe quae efficiant, ut substantiae alienae et olentes non amplius per pulmones, sed modo per vias excretorias commodiores expellantur. Viae excretoriae vero, per quas id maxime fieri possit, sunt renes; omnia remedia igitur, quae diuresin adaugent et mutant, idonea sunt, ad animam foetidam, e pulmonibus emergentem, radicitus exstinguendam.

Huc non raro pertinent remedia domestica, quae vocantur, ut asparagus, turiones pini, stolones hu-

muli lupuli apium petroselinum et graveolens, etenim infusum saturatum ex eorum seminibus paratum, magnam laudem sibi peperit; cum fructu quoque administrantur baccae juniperi, roob earum nec non dauci carotae etc.

Multum utilitatis praestant aquae minerales, alcalinae, salinae cum libero acido carbonico; imprimis aqua mineralis fachingensis, geilnauensis et selterana, virtute diuretica insignes, quas autem vino et saccharo temperatas bibere oportet.

Imprimis vero amara, tonicis ac diureticis conjuncta, in usum vocanda sunt, quae non solum diuresin adaugent eoque modo a pulmonibus revulsionem efficiunt, sed etiam roborant et digestioni favent.

Maximi momenti ad animam foetidam e pulmonibus scaturientem radicitus evertendam haec sunt:

℞ Calami aromatici
Cort. aurantior.
herb. trifol. aa ℥ß
sem. sinap.
bacc. lauri
— juniperi aa ʒiii
cort. chin. ʒjj
c. c. infunde vini rhenani optim. ℔jß
digere per aliquot dies in vase clauso in loco tepido; cola et solv.
kali carbonici ʒiii
m. d. s. Ter quaterve per diem hauriatur cochlear unum vel duo.

Effectus laetus obtinetur, si diuresis augetur, at plures per hebdomades usus est continuandus; eadem formula hominibus ventriculo laborantibus convenit.

D.

De remediis palliativis animae foetidae.

Nomen jam indicat, quaenam remedia palliativa sint appellanda: sunt enim ea, quae malum non radicitus evertunt, sed modo per aliquod tempus elevant aut mitigant. Usus eorum ad eos respondet casus, quibus anima foetida vel radicitus sanari nequit, aut sanatio nondum est absoluta, aut animae foetor modo periodicus existit, e. gr. post usum substantiarum graveolentium, ut asae foetidae, ceparum, alii, armoraciae etc.

Ad haecce remedia igitur omnia pertinent, quae ori inserta, gratum odorem reddunt, quo durante anima foetida haud animadvertitur. Neque infimum locum tenet oris et dentium exacta perpurgatio; os saepius, imprimis mane et post coenam quamlibet eluatur aqua coloniensi, aquae purae admixta, maxime autem foveatur omnibus supra dictis No. 2, 4, 5, quae gratissimum spargunt odorem.

Muhamedani hunc in finem semper gummi mastichis manducant. Huc denique pertinent caryophylli aromatici, cortex cinnamomi, macis, amygdali, semina coffeae tostae, quae vulgo sumuntur, cum multis aliis, gratum odorem spargentibus.

Curriculum Vitae.

Ego Fridericus Godofredus Behrens, natus Ascaniae anno MDCCCIII die X M. Augusti patre optimo Petro Behrens, matre Christiana de gente Bekker, fatis jam defuncta, Confessioni evangelicae addictus sum. Literis ad studia altiora viam munientibus imbutus sum in gymnasio urbis patriae, quod elapsis VIII annis, maturitatis testimonii munitus reliqui et universitatem literariam Berolinensem adii, ubi die XXV M. Octobris A. MDCCCXXV Rectore Magnifico Boeckh in album universitatis receptus et Decano Ill. Link medicinae studiosorum numero adscriptus sum.

Per quadriennium has frequentavi praelectiones: encyclopaediam medicam et methodologiam, anatomen univexsam, sensuum organorum et foetus, comparatam, pathologicam et physiologiam Ill. Rudolphi, idem Ill. Vir cum Ill. Knape artem cadavera dissecandi me docuerunt, Ill. Knape osteologiam et syndesmologiam, repetitiones anatomicas Cel. Schlemm mihi tradiderunt. In toxicologia, botanice Ill. Link et in botanice medica Cel. Schulz; in chemia Cel. Mitscherlich et in physice Ill. Hermbstaedt; in zoologia Cel. Lichtenstein praeceptores mihi contigerunt. Cel. Fr. Hufeland de pathologia generali; Ill. Horn de pathologia speciali, de mentis morbis

DE

MALIGNITATIS IN MORBIS NOTIONE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE CAPESSENDIS SCRIPSIT ATQUE
DIE XX. M. AUGUSTI A. MDCCCXXIX.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

IGNATIUS BRAUN.
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
G. LAUER, MED. ET CHIR. DD.
H. GOLDSCHMIDT, MED. ET CHIR. CAND.
C. KRUEGERMANN, PHIL. CAND.

BEROLINI, TYPIS JORDANIANIS.